

II7. I Romani e la provincia di Sicilia.

*P. Africanus, Carthagine delētā, Siculorum urbes signis monumentisque pulcherri-
mis exornavit, ut, quos victoriā populi Romani maxime laetari arbitrabatur, apud eos
monumenta victoriae plurima collocaret. Denique ille ipse M. Marcellus, cuius in Si-
cilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem ceteri Siculi perspexerunt, non solum
sociis eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperavit. Urbem pulcherri-
mam, Syracusas, cum vi consilioque cepisset, non solum incolumem passus est esse,
sed ita reliquit ornatam, ut esset idem monumentum victoriae, mansuetudinis, conti-
nentiae, cum homines vidērent et quid expugnasset et quibus pepercisset et quae reliquis-
set. Tantum ille honorem habendum (esse) Siciliae putavit, ut ne hostium quidem urbem
ex sociorum insula tollendam arbitraretur. Itaque ad omnes res Sicilia provincia usi
sumus ut, quidquid ex sese posset efferre, id non apud eos nasci, sed domi nostrae con-
ditum iam putaremus. Quando illa frumentum, quod debēret, non ad diem dedit? Quando
id, quod opus esse putaret, non ultro pollicita est? Itaque ille M. Cato sapiens cellam
penariam rei publicae, nutricem plebis Romanae Siciliam nominabat.*

CICERONE

II8. Un grande legislatore.

*Parsimoniam omnibus Lycurgus suasit, existimans laborem militiae adsidua fru-
galitatis consuetudinē faciliorem fore. Auri argentique usum velut omnium scelerum
materiam sustulit. Fundos omnium aequaliter inter omnes divisit, ut aequata patri-
monia neminem potentiorē altero redderent. Convivari omnes publice iussit, ne cuius
divitiae vel luxuriā in occulto essent. Iuvenibus non amplius una veste uti toto anno
permissum est nec quemquam cultius quam alterum progrēdi (uscire in pubblico) nec
epulari opulentiū, ne imitatio in luxuriam verteretur. Pueros non in forum, sed in
agrum dedūci praecepit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere et in laboribus
agerent. Nihil eos somni causā substernere et vitam sine pulmento degere neque prius in
urbem redire quam viri facti essent statuit. Maximum honorem non divitum et poten-
tium, sed senum esse voluit nec sane usquam terrarum locum honoratiorem senectus
habet. Haec quoniam solutis antea moribus dura videbat esse, auctorem eorum Apolli-
nem Delphicum fingit, ut consuescendi taedium metus religionis vincat. Dein ut aeterni-
tatem legibus suis daret, iure iurando obligat civitatē nihil eos (= cives) de eius legi-
bus mutatuos esse, priusquam reverteretur, et simulat se ad oraculum Delphicum pro-
ficisci, consulturum quid addendum mutandumque legibus videretur. Proficiscitur
autem Cretam ibique perpetuum exilium egit abique in mare ossa sua moriens iussit,
ne, relatis Lacedaemonem, solutos se Spartani in dissolvendis legibus arbitrarentur.*

GIUSTINO